

Biblioteka Jagiellońska
stdr0003563


V
B
J
C

ΣΥΓΧΑΡΜΑ

JLLVSTRI ET REVERENDISSIMO

DN. DN. IOANNI

TRACH GNINSKI, AR-

CHIDIACONO, SVFFRAGANEO,

ET ADMINISTRATORI

POSNANIENSI:

Dum ab Illustrissimo & Reuerendissimo DN.

DN. LAVRENTIO GEM-

BICKI DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS

gratia Archiepiscopo Gnesneñ, Legato

Nato, Regni Poloniæ Primate,

Primoq; Principe:

Solenni ritu

In Episcopum Ennensem consecraretur:

Oblatum

A Studiosa iuuentute Collegij Lubransciani Academici.

Anno Domini. M. DC. XX.

IN STEMMA.



SIVE gradus, ſeu fors campos in ſtemmate cenſes,
Ingens Trachorum ſignat vtrumq; decus.
Terrigenæ cuncti camporum munere viuunt,
Virtutum ducunt nos ſuper aſtra gradus:
At quem primæuæ gentes trepidare ſolebant,
Gninſciadum generi fert diadema Draco.

Matthias Trzcinski St. El.

Illustri & Reuerendissimo Domino,

DN. IOANNI TRACH GNINSKI

DEI GRATIA EPISCOPO ENNENSI

Suffraganeo & Archidiacono Posnaniensi &c. &c.
Studiosa iuuentus Collegii Lubransciani
Salutem & Felicitatem.

LÆtitiæ nostræ incredibilis, quam ex oblato tibi munere accepimus, significationem, ad te Præsul Ampliss. & Patrone obseruandissime, magna cum alacritate deferimus. Non quòd tantum ingeniorum viribus tribuamus, vt hasce rudes voculas Amplitudine Tua dignas arbitremur; sed quòd beneuolentiæ propensionem singularem & affectum tuum erga nos verè paternum sentientes, ad omnem tuarum virtutum cultum, & venerationem, non mediocriter excitemur. Tu enim susceptam semel curam Collegij nostri nunquam postea intermisisti, sed magna contentione, fideli studio, ac felici opera elaborâsti, vt Reuerendissimi *olim* Rozrazouii *pia ac omni æuo memoranda fundatio effectum suum sortiretur. Tu ordinationi Studiorum nostrorum non interfuisti duntaxat, sed maxima etiam cum laude & publico bono præfuisti. Apud* Illustrissimum *vero Dn. D. Andream de Bnin Opalinski Episcopum Posnanien. Patronum & Protectorem Collegii*

legii nostri clementissimũ (quem vtinam Deus Opt. Max. quàm diutissimè incolumem seruet, & ad nos quam primum sospitem reducat) quoties Academicæ huius Palæstræ mentionem dedit occasio, toties illam & studia Collegii Lubransciani singularis prudentiæ zelo commendasti. Itaq; *dignum non erat, vt dum honoris & dignitatis tuæ accessiones videremus, tanquam elingues statuæ taceremus. Si enim in eos quos nobis profuturos arbitramur, officia nostra conferre non dubitamus: profectò nisi de illis bene merendi voluntatem habeamus qui iam profuerunt, non modo ingrati, verum etiam improbi sumus. Et reuera si Oratorum principi fides habenda est: Nihil tam proprium hominis esse inueniemus, quàm non modo beneficium, verum & beneuolentiæ significationem grata prosequi memoria. Nihil porro tam inhumanum ex eodem didicimus, aut tam ferum, quam committere, vt beneficii ingrati esse inueniamur. Quamobrem licet parem eloquentiæ apparatum ad tua erga nos immortalia beneficia, honoresq; amplissimos celebrandos afferre non potuerimus: dicere tamen aliquid, quàm Harpocratis statuam imitari maluimus. Fruere igitur in iucunditate tuo tam excellenti honore; & quemadmodum parentes liberorum etiam balbutientium sermonem libenter audiunt: ita Tu Amplis. Præsul, gratulationem hanc qualem qualem, æqui boniq; consulas.*

ΠΡΟ

ΠΡΟΔΡΩΜΑΤΙΟΝ

INstrue Castalias Mneme Lubranscia chordas,
Lætitiæ plenum perge sonare melos.
En tuus Infuleo fautor redimitus honore,
Virtutis recipit præmia digna suæ.
Ergo alij celebrent Pænorum facta Dynastæ,
Nec sileant laudes Scipio magne tuas.
At nos prælustrem Gninski memorare Tiaram,
Et gaudere nouo Patris honore iuuat.
Tempus Erythræis decet hoc signare lapillis,
Hoc & delicias inter habere nouas.
Scilicet euentus hæc sunt bona signa futuri,
Quod dum cœlestem Phœbus adiret ouem,
A tibi Romanâ delata est Infula sede,
Maxime quà Gninski tempora docta tegis.
Quare vt veriferi Titan radiatus in agni,
Sparserat Illustri lumina clara domo:
Sic quod tu pasces Christus radiabit ouile:
Nam Christus veri munera solis habet.
Solem iustitiæ doctorum scripta frequentant,
Agnoscunt Solem cuncta creata suum.

Iustitiæ ille fauet, conatus sternit iniquos,
Nec patitur nimio quemq; labore premi,
Nũc quoq; Hyperboreas quia Bninia cymba procellas
Sentit, & hæreseos flabra cruenta furunt.
Te voluit fido puppem custode tueri,
Consilio Syrtes & superare tuo,
Insurgunt equidem tristes Aquilone procellæ,
Et tempestatum tela trisulca tonant:
At tu firmatę sic flectes vela carinæ,
Vt non tartareæ vim patiatur aquæ,
Sunt tibi felices Parnassia munera remi:
Consilium clauus: transtra laboris amor:
Anchora sedatæ præsens constantia mentis:
Vela perantiquæ nobilitatis honor.
Non metuas igitur, feret hæc occasio laudem,
Dulichius remex, non Palinurus, eris:
Hic etenim ignauo dum credit lumina somno,
Decidit in rapidas corpora victus aquas,
Ast Ithacus tumidum classem missurus in æquor,
Non prius in dubias vela tetendit aquas.
Quam patris Eurorum reboantia tecta subiret,
Cumq; feris faceret fœdera certa Notis,
Mox vbi nectareo vinxit sermone Monarcham,
Indomitum & poterat iam tenuisse genus.
Non timuit Phorcinq; trucem, Siculamq; Charybdim,
Ter licet absumat, ter vomat illa fretum.

Sic

Sic velut Hyppotades ventos ſubiecit Vlyſsi,
Seruator ventos in tua vincla dabit.
Eſt cur concipias ſpem pleno pectore fidam,
Lætitiamq; tuæ polliceare rati.
Nam velut igniuomo victricia Chriſtus ab hoſte
Signa tulit, ſpoliis atq; oneratus erat:
Sic quicunq; fidem Chriſti nomenq; tuetur,
Hoſtilis turbæ colla cruenta premet.
Tu quoq; quandoquidem tanto feruore tueris
Dogmata Verbigenæ, Catholicamq; fidem,
Calcabis tumidas fauces & colla furentum,
Et ſternes Stygios calce premente canes.
Et tuus altus honos omni celebrabitur æuo,
Cantabunt nomen ſæcula longa tuum.
Iactet Creta Iouem, ſint clari ab Apolline Delphi,
Laudet Amycleam Tænaris ora fidem,
Claua Draconigenas faciat Tyrinthia notos,
Muſa patrocinio noſtra beata tuo.
Te bona poſteritas plauſu ſuper æthera tollet,
Te Lubransciadûm perpetuabit epos.
Quàm longum viuet Lubranscia Pallas in æuum.
Et tuus Aonidûm viuet in ore decor,
Te lætæ voces, te carmina læta ſonabunt,
Inq; libens laudes ſurget Apollo tuas,
Et quò Muſarum magis incrementa propagas,
Hòc mage te Muſæ per tua facta canent.

Hoc sanctæ leges, hoc ipsa Astræa requirit,
Hoc mos maiorum relligioq; iubet;
Vt cui quisq; libens studio deuinctus adhæret,
Ex illo fructus colligat ille suos:
Sic qui spiciferæ vouit sua tempora matri,
Spiciferæ matris munera larga ferat.
At cui sanguineum placuit coluisse Gradiuum,
Dignus erit celso Martis honore coli,
Præsul vt horrendi potuisset castra Gradiui,
Et quod prosequitur gens clypeata sequi:
Attamen heroas voluens sub pectore curas,
Et trutinans animi singula quæq; face,
Dignius haud potuit quicquam reperire Mineruâ,
Aût quod in aduersis dulcius esse queat.
Quare postpositis quibus aût quæruntur honores
Fluxibiles, aût quêis accumulantur opes
Palladijs toto vouit se pectore sacris,
Pallados æternum vult fruticare decus.
Quare Cecropiæ stabunt dum munera Diuæ
Cecropiæ matris præmia larga feret.

Lucas Rozdrazowski
Stud. Iurisp.

ODE

ODE DICOLOS TETRASTROPHOS

INFVLAM magni fidibus canoris
Præsulis lætæ resonent Camœnæ
Namq; flagranti decorat fauore
Ipse Camænas
Intonent voces Eratus per auras
Prædicet laudes meritas Thalia,
Quin nouenarum moduletur omnis
Turba sororum,
Non quidem virtus streperis decorem,
Plausibus quærit, quoniam decore,
Altior quouis supereminenter
Ipsa refulget.:
Attamen semper licuit Camœnis
Inclytas factis celebrare mentes,
Semper illarum cytharæ sonabant
Facta potentum.
Sic fuit notum patulum per orbem
Nomen Alcidæ, puerûmq; Ledæ
Nobilis virtus apud incolores
Seras & Indos.
Sic tuum Gninski decus in capaci
Orbe clarescet, meritiq; honores

Altiùs ſurgent, vbi te ſonabunt
Carmine Muſæ.
Alta maiorum memori tuorum
Seculo virtus manet,& manebit,
Quamdiu Lechi regio tenebit,
Signa Draconum.
Sed tuis Præſul cumulata factis
Altiûs nomen feret. Vt metallum
Sit licèt ſplendens nitidâq. per ſe
Luce coruſcet
Si tamen gemmam lapidemuè iungas
In Paro natum,decus haud minutum
Iunxeris,& mox iuuenum ſenumq;
Lumina vertes.
Haud ſecus per ſe licèt alta virtus
Gninscia effulget, veluti peremptæ
Sunt feræ teſtes,patriæq; merſi in
Hoſtibus enſes.
At magis multò decorata per te
Ibit heroas facilis per aures,
Ibit, & celſum caput in coruſco
Ponet Olympo.
Si tui quondam proaui Dracones
Non manu fato timidâ dederê
Tu per horrendos ſcelerum Chelydros
Fortiter ices.

Efferos

Efferos & si violentus Apros
Vicit Alcmenâ genitus, cruenti
Et Caci victor spolijs onustus
Iuit in vrbem.
Tu nec æratas galeas requiris
Non èges Martis gladio, nec hasta
Nec fero, Christi clypeate scutis,
Milite, Gninski,
Mente constanti, scelerumq; purâ
Orceos vinces animosus vrsos,
Et pedo Tygres Erebi luposq;
Sæpe necabis.
Infulâ quin iam redimitus almâ
Territas verâ Stygios Procustas
Et fide, & forti pietate fretus
Maxime Præsul.
Hinc nec hybernis Aquilo fremiscens
Flatibus famam minuet, nec Austris,
Nec tibi clarum poterit vetustas
Tollere nomen.
Occinent gratæ tua facta Musæ,
Occinent Phœbo iuuenes dicati
Et tuas fautor venerande laudes
Secla stupescent.
Quid magis dignum citharis, & alto
Pallados cantu ? quàm vbi vir potentes
Explicat

Explicat dotes animi, atq auito
Stemmate fulget.
Talis est Gninski, generis reposcas
Siue tu lumen rutilum, corusco
Lumine effulget, velut inter ignes
Luna minores.
Seû magis dotes animi requiras,
Inclytos fætus Heliconis almi,
Anteit multos, valet ac vtroq;
Vincere multos.
Quis neget magno genitore cretum,
Aût domo illustri, seriem si auorum
Ordine in longo videat, vetustæ &
Stemmata gentis?
Ergo cum multis præeas honorus,
Crescat Idæo velut arbor agro,
Tempore & longo radiet tuorum
Fama laborum.
Viue longæuo satur vsq; seclo
Nestoris cani, superansq, longum
Tempus, in Christi videare semper
Argus ouili.

Martinus Grabski
Stud. Iurisp.

EPIGRAM-

EPIGRAMMATA.

ME quoq; fors aliquis dicet rationis egenum,
Quôd tua non cultâ gaudia voce canam.
Da veniam quæso, raucæ quoq; sæpe cicadæ
Quamuis Cygneo non satis ore canant:
Attamen vt Phœbi faciem videre serenam,
Inq; poli sudo clarius ire diem.
Agrestes etiam geminant sub sole Camœnas,
Et recreant rauco rustica corda sono,
Sic ego quem Phœbum studiorum agnosco meorum,
Impiger in laudes ora resoluo tuas.

Matthias Baranowski
St. El.

NEC te virtutum, nec Fautor prœmia fallunt,
Pallados, haud dubium crescit vtrinq; decus.
Ante quidem lapsum roseus dum verteret annum,
Et verni Titan tecta subiuit agni;
Admirata tuas dotes ACADEMIA laurum,
In tua Scæuoleam tempora docta dedit.
Nunc verò infuleam dat virtus inclyta Mitram,
Hocq; die Mitra est, quo data laurus erat.

Hæc vtinam sit fausta dies, cunctosq; per annos
Prœmia det semper fertiliora tibi

Ioan Malachowsky
St. El.

In campos Stemmatis

HEsperios an Gangeticos ~~[illegible]~~ Vis dicere campos,
Incola queîs auidus fulua metalla legit?
An quibus æterni nascuntur germina veris?
Aut quos Caucaseum nescit adire gelu?
Sit sua fama illis nomenq; celebre per orbem,
Attamen haud Gninscijs anteferentur agris,
Illis nascuntur vani ludibria mundi,
Hîc honor, hîc virtus, hîc pia facta virent.

Albertus Chlapowsky
St. El.

Aliud

QVis neget à fatis Ennam tibi maxime Præsul
Oblatam? hoc præter cætera stemma docet.
Nam quod fœcundos Draco stat sublimis ad agros,
Ennæ non dubiè dicit id esse solum.
Quippe Ceres illic nato dedit alma Dracones,
Queîs omnem mundi vectus obiret humum.
Hinc rediens tandem peragrati à partibus orbis,
Aspectat notos iam modò lætus agros

Stephanus Kokalewski
St. El.

Aliud.

FElices campi quorum per iugera glebæ
In patrios vsus commoda mille ferunt
Hic fœcunda seges plenis flauescit aristis
Explicat immensas, semper Eleusis opes.
Non tamen has tempus, non longior atterit ætas
Frugibus hic densis, semper abundat ager.
Consilium hic pietas, ingens prudentia rerum,
Et crescit quicquid, quemq; iuuare queat
Quare si quouis tantos dant tempore fructus.
Quis neget vbertim hos quòd Deus ipse riget?

Adamus Rola

In Draconem.

QVemnam te tandem Præsul dignissime dicam,
Cui non obsequium denegat ipse Draco.?
Hesperidas etiam dicunt habuisse Draconem,
Auriferi fructus cui data cura fuit,
Ille sed ignauo deuictus lumina somno
Dum iacet, Alcides aurea mala tulit,
At tuus hic vigiles semper sub pectore curas
Voluens, inuictum tollit ad astra caput,
Non ergo Alciden dicam te maxime Præsul,
Nec qui Troianas debilitauit opes,
Alcides cuius sed permiretur honores,
Atq; tuos clauam collocet ante pedes.

Felix Mirucki. *St. El.*

NE C mihi lingua rudi fuerit concreta palato,
Aonio quamuis non bene sparsa vado.

Non illis etenim multùm de fontibus hausi,
Pegasei quorum pes fuit autor equi,
Non tamen ingratis æterna silentia labris,
Nec potero clausos ore tenere sonos,
Dum tibi Episcopeo resplendent tempora velo,
Dum noua lætanti gaudia mente capis.
Hunc tibi collatum qui lætior audit honorem
Illius haud modicus facta perornet honos.

Alexander Rekuc
St. El.

PRæsulis officium, Sancto applaudente Senatu
Suscipias, summo nec renuente Deo.
Carminibus resonant auræ, gratantur honorem,
Quos pauit gremio docta Minerua suo.
Magnis pro meritis exoptant prœmia magna,
Præsulis vt maneat munus honosq; diu,
Inter quos & ego tua dum benefacta reuoluo,
Occino cum socijs carmina læta tibi.

Ioannes Gninski
St. Gr.

EXcelsus meritis, laudum cumulatus aceruo es
Inter honoratos gloria magna viros.
Te multùm solers ornat facundia, & artis
Multiplicis magnus condecorauit honos,

Illustrem titulis assumis Præsul honorem
Antiquæ gentis fulgida stella tuæ,
Semper honos maneat tuus ô dignissime Præsul,
Te tutore ferant commoda magna scholæ
Quæ se olim Lubransciades in sedibus istis
Fixerunt, harum viue patrone diu.

Michael Werzyski
St. Gr.

ACCLAMATIONES
ALVMNORVM ROZRAZOVIANORVM.

Viue precor multos felix Patrone per annos,
Vtq; iuuas, semper nostra Lycœa iuua.

Adamus Rola
St. El.

Viue precor Patrone diu, peragantq; per æuum
Postibus excubias lausq; decusq; tuis,

Sigismundus Bieleski
St. El.

Quot generat grauidas Ennensis campus aristas,
Viuere tot liceat vir tibi magne dies:

Ioannes Pierzchlinski
St. El.

Quot volucres syluis debent, gens squammea lymphis,
Hoc Præsul debent nostra Lycæa tibi.

Adamus Philichowski
St. El.

Fluctiuagum postquam formica exhauserit æquor,
Lætitia in tectis desinat esse tuis.

Andreas Grabia.
St. Gram.

Ante lapis fiam cessem exoptate priusquam,
Vt voto faueant astra benigna tuo.

Gregorius Gorinsewski
St. Gram.

Magna tua est virtus amplissime Præsul vbiq;
Quâ conspectâ etiam dat tibi Roma pedum.

Albertus Pierzchlinski
St. Gram.

Dotibus æthereis munitus & arte Mineruæ,
Perficias virtus quod bene cœpit iter.

Matthias Krzyszankowsky
St. Gram.

Firmiter vt lituum teneas felixq; gubernes,
Ipse Deus fuerit fuerit firma columna tibi.

Ioannes Grabia
St. Gram.

Innumeros viuas Amplissime Præsul in annos
Ingens Lubranscæ cura decusq; scholæ.

Albertus Sulinski
St. Gram.

Herculis excelsas tangat tua fama columnas,
Stetq; velut constans stare columna solet.

Ioannes Radolinski
St. Gram.

Quæ fortuna domo semper florebat Enhippi,
In tectis semper sit precor illa tuis

Władislaus Przyborowski
St. Gram.

Tempora sis Præsul sospes per longa precamur
Virtutesq; tuas, fama loquatur anus.

Sigismundus Przyborowski
St. Gram.

O vtinam superes longæui Nestoris annos,
Illius eloquium qui superare potes.

Andreas Podleski
St. Gram.

Vt colis Aonides habitantes montibus altis,
Sic altus semper te comitetur honos.

Adamus Raczlakowski
St. Gram.

Coniunctis animis, coniuncto pectore dicam:
Adsit honos oneris fructus, honoris onus.

Stephanus Pilichowski
St. Gram

Concedo nulli officijs, quæ debeo multa
Non fuero Harpocrates, gratus at esse velim.

Alexander Mochelski
St. Gram.

In manibus magni fuerat spes fixa Tonantis,
Illius ex manibus venit & illa tibi.

Stanislaus Lukomski
St. Gram.

Præsulis almus honor sit felix, omnia cedant
In patriæ & gentis commoda magna precor

Stephanus Vianowski
St. Gram.

Quot rapidus pisces pascit sub gurgite Varta
Tot Præsul numeres sæcula fausta precor.

Thomas Brzezinski
Stud. Gram.

Accipe Mentorëi non picta toreumata cæstri
Sed mentis studium, hæc quod superare queat.

Stephanus Karczewski
St. Gram.